

tas, (puta senium, injusta incarceration, &c.) aut evidens Ecclesie utilitas: quia tam Beneficiarius, quam Concilium Trid. citat. simpliciter dicunt distributiones dandas iis, qui statis Horis interfuerint; reliqui vero (exceptis iis, quos excipit Beneficiarius) his careant.

Huc exceptioni Beneficiarius opponens alteram ejusdem Beneficiarii Declarationem cap. Cum non deceat. De Elect. in 6. ubi dicit: Vacantes Ecclesie sue utilitati debere percipere integrum fructum sui beneficii, exceptis quotidianis distributionibus. Verum hos hujus Pontificis, sibi in specie adversantes Canones conciliant Auctores, dicendo, hoc secundo Beneficiarii Decreto significari absentes extra locum Beneficiarii propter utilitatem Ecclesie privati distributionibus quotidianis; ut si quis ob negotia sue Ecclesie discedat ad Curiam. Altero autem Beneficiarii Decreto significari, absentes a Choro tantum, sed vacantes Ecclesie sue utilitati, intra ipsius Ecclesie limites, ut sacrificando, Sacramenta administrando, &c. non privati distributionibus quotidianis.

Alto modo conciliantur hæc Decreta, dicendo quod iis, qui absunt sive a Choro, sive a loco Beneficiarii, de Jure communis non debeantur distributiones; & hoc importari secundo Decreto cap. Cum non deceat: interim nihil obstat, quominus consuetudine, vel statuto particulari induci possit, ut ob talem justam absentie causam distributiones acquirantur; & hoc importari primo Beneficiarii Decreto cap. Consuetudinem. Ita Covarruvias, & alii apud Layman l. 4. tract. 2. c. 7. n. 3.

Dico 2. Canonici, & alii Beneficiarii tenentur esse præsentibus Officio, non merè materialiter ut dormientes, neque tantum moraliter ut in coetu civili, sed religiosè per modum orantium & colentium Deum. Talem enim præsentiam tum ab Ecclesia, cum a Fundatoribus requiri, indubiatum est; & ita statuit Clemens V. in Conc. Vienn. Refertur in Clementinis cap. Grav. tit. de Celebrat. Miss. magisque patebit ex seq. conclusione. Hinc habentur communiter ab Auctoribus pro absentibus, tam quoad culpam, quam quoad privationem distributionum, dormientes in Choro, confabulantes, ridentes, oculis vagantes, libros, aut literas legentes, quovis indecenti modo se gerentes; aut, licet decenter, nullum tamen Religionis actum edentes.

Dico 3. Canonici, & alii Beneficiarii tenentur in Choro ad cantum communem, cessante legitimo impedimento. Prob. ex Concilio Trid. sess. 24. c. 12. de Ref. ubi de Clericis Beneficiariis sic decernitur: Omnes vero divina per se & non per substitutos compellantur obire Officia, atque in Choro, ad psallendum instituto, Hymnis & Canticis Dei nomen recitent, distinctè, devotèque laudare. Porro, si ad id non teneantur, non juberet eos per Superiores compelli Concilium. Suffragatur varia alia Concilia, Basiliense ann. 1431. Coloniense 1536. Cameracense 1565. & alia.

Et sanè quis credat, Ecclesiam & beneficiorum Fundatores tantum exegisse a Beneficiariis, ut forent spectatores otiosi Divinorum Officiorum? Cum ergo constet, Beneficium dari propter Officium, nedum privatam, sed etiam publicam & solemne, nec possit fieri Officium solemne & publicum absque cantu, sequitur, ad eum teneri Beneficiarios.

Dixi: Ad cantum communem; quia ad musicam non tenentur, neque etiam secundum Pontis verbo, Chanoine. cas. 6. ad canendum in Graduali & Antiphonario; conformiter ad hæc verba c. 3. dist. 92. Non liceat in Psalterio psallere, aut legere, nisi qui ab Episcopo Lectores sunt ordinati: ita ut juxta laudatum Auctorem obligatio eorum restringatur ad Psalmos, Cantica, & Hymnos alternatim canendos. Et quidem rari sunt his temporibus Canonici, maximè Cathedralis, qui scitè possint canere Gradualia, Responsoria, & similia.

Dixi etiam: Cessante legitimo impedimento; quale foret infirmum pectus, vox rauca, quæ potius decori cantus obstitueret, quam faveret, aut quid simile.

Scio iterum, huic conclusioni opponi consuetudinem contrariam, & a pluribus Auctoribus gravibus excusari eos saltem, qui ex fructibus Beneficiarii conducunt Cantores, seu Vicarios. Hanc sanè consuetudinem si Ecclesia probat, non ego improbo. Viderint, quorum interest, maximè Prælati, quibus a Concilio præceptum est compellere Beneficiarios, ut per se, & non per substitutos, Divina Officia peragant. Mihi autem satis est dixisse, quid Beneficiariis incumbat ex Canonibus, & ex natura sui Beneficii.

Petes 1. Utrum Beneficiarii, religiosè præsentibus, sed non canentibus in Choro, acquirant distributiones quotidianas? R. Ubi retinetur antiqua consuetudo, quam Concil. Trident. cit. iterum præcipit, ut Beneficiarii in Choro cantent, qui id non præstant, non lucrifaciant saltem integras dis-

tributiones; quia hæc non dantur præcisè propter meram præsentiam, sed maximè propter servitium. Sumitur ex Bulla 138. Pii V. et ita docent Cajet. Soto, Navarrus & alii apud Candid. Disp. 18. Dub. 2. & Layman l. 4. tract. 2. c. 7. n. 6. Ubi autem est consuetudo, ut Canonici habeant Cantores substitutos, quibus ex fructibus Beneficii conferuntur stipendia, probabile est, eos, qui sunt religiosè præsentibus, licet non cantent, lucrari distributiones quotidianas integras; quia alioquin dupliciter mulcerentur, cum jam priventur stipendiis in substitutos collatis, quos sibi acquirerent, si cantarent. Ita Cajet. in summa, verbo Horæ Canon. Bonacin. Navarr. & alii, quos citant & sequuntur Candidus, & Layman loc. cit.

Petes 2. Utrum qui culpabiliter absunt a Choro, amittant, non solum distributiones quotidianas, sed etiam partem aliorum fructuum Beneficii? R. Quosdam tueri partem affirmativam hæc ratione, quod Beneficium detur propter Officium; ex quo inferunt, quod deficiente partim Officio, debeat deficere partim Beneficium.

Sed pars negativa mihi videtur probabilior; quia nulla legitur Ecclesie declaratio ad id cogens Beneficiarios absentes, qualis habetur contra non recitantes: imò contrarium insinuat a Trid. supra cit. ubi declarat, quod qui ultra trimestre abest a Choro, primo anno privetur media parte fructuum, quos ratione Præbendæ & Residentie fecit suos. Porro, si non obstante absentia faciat fructus suos, ergo ipso facto non eos amittit, aut eis privatur, sed tantum per Sententiam Judicis est privandus.

Ad rationem contrariam R. 1. Absentes etiam partem Beneficii amittunt, amittendo distributiones quotidianas, quæ sunt pars fructuum Beneficii. R. 2. Negando illationem. Quia Beneficium non datur immediatè pro Officio, sicut stipendium datur mercenario pro opere diurno, quia Officium non est pretio æstimabile, sicut obsequium mercenarii; sed datur immediatè in sustentationem Ministris Ecclesie, sub onere tamen & conditione Officii. Unde tenetur quidem Beneficiarius ex Justitia ad Officium, sicut Parochus ad administrationem Sacramentorum; si tamen abuteri, non privatur ipso facto fructibus sui Beneficii; sicut Parochus ad culpabiliter omittens ministrare Sacramenta, non privatur ipso facto fructibus sui Beneficii. Et propter hanc rationem, si non interveniret declaratio Ecclesie adversus non recitantes Officium, statuens eos non facere fructus suos, & obligans ad restitutionem pro rata omissionis, non putarem, eos ad id teneri ante Sententiam Judicis. Vide supra §. 3. Concl. 1. Consect. 1.

§. V. De forma recitandi Officium.

Dico 1. Omnes Officio Divino adstricti tenentur illud recitare juxta formam & Ritus generalem Breviarii Romani, jussu S. Pii V. edit. ann. 1568. ita ut nemo nisi hæc sola formula satisfacere possit, exceptis iis Ecclesiis, vel Religionibus, qui antè 200. annos alio ab Ecclesia approbato utebantur; quibus tamen conceditur, ut de consensu Episcopi & universi Capituli, sive Prælati & Communitatis Bullamano uti possint in Choro. Ita laudatus Pontifex in Bulla Quod a nobis, præfixa edicto Breviarii, ubi sic decernit: Ab omni quocumque alia Breviaria... in quibus alia Divinum Officium Romane Ecclesie ritu dici consuevit, aut debet; illis tamen exceptis, quæ ab ipsa prima institutione a Sede Apostolica approbata, vel consueverunt, quæ vel ipsa institutio 200. annos antecessit, alii certe Breviarii usu fuisse constitit: quibus ut inveteratum illud jus dicendi & psallendi cum Officium non adimimus, sic eidem si forte hoc nostrum, quod modo perculgatum est, magis placeat; dummodo Episcopus & universum Capitulum in eo consentiant, ut id in Choro dicere & psallere possint, permittimus. omni itaque alio usu quibuscumque, ut dictum est, interdicto, hoc nostrum Breviarium, ac præcandi psallendique formulam in omnibus universi Orbis Ecclesiis... salva prædicta institutione, vel consuetudine, prædictos 200. annos superante, precipimus observari; statuentes Breviarium ipsum nullo inquam tempore, vel totum, vel ex parte, mutandum, vel ei aliquid addendum, vel omnino detrahendum esse... neminemque, ex quibus hoc dicendi psallendique manus necessarium impositum est, nisi hæc sola formula satisfacere posse. Citæquam Ordinationem.

Petes 1. Utrum astrictus Breviario Romano, si illo careat, & si aliud habeat, teneatur recitare Officium ex illo alio Breviario? Respondeo: Probabilis & tutius affirmativè, contra non paucos. Ratio est 1. Quia præceptum recitandi Horas simpliciter potius & strictius est quam præ-

ceptum hoc, vel illo modo recitandi. 2. Non potest fundatè præsumi, mentem Summi Pontificis fuisse per hanc clausulam eximere in casuposito ab obligatione Officii, sed voluisse dumtaxat adstringere omnes ad Breviarium Romanum; ita ut per aliud non satisfaciat, si tamen Romanum haberi possit. Insuper nullus est, qui in alio Breviario non possit multa legere conformiter ad Breviarium Romanum; qui autem non potest totum debitum solvere, saltem ad partem, quam potest, tenetur.

Petes 2. Utrum illi, quorum Ecclesia, vel Religio non acceptavit ad Chorum Breviarium Romanum, possint privatim illo uti? Id probabile reputat Lessius: certo affirmat Henno cum quibusdam aliis. Quia, inquit, non est ratio, cur in privato Officio potius se debeant conformare Ecclesie particulari, quam universali, quandoquidem consensus Capituli & Prælati, a Pontifice requisitus pro Officio Romano, respicit Chorum dumtaxat, non particulares. Verum ab aliis assertur in contrarium declaratio S. Congreg. apud Garciam de Beneficiis 3. p. c. 1. n. 155. quæ hæc de re consulta censuit, habentes Breviarium ante 200. annos institutum non satisfacere recitando, etiam extra Chorum, juxta formam Breviarii novi Pii V. si hoc in sua Ecclesia non fuit receptum de consensu Episcopi & Capituli. Quia declaratio, si vera sit, videtur direpta controversia. Et rationi opposite responderi potest, idè recitantes privatim debere se conformare Ecclesie sue particulari potius, quam universali, quia 1. Breviarium Ecclesie universalis non est approbatum pro ipsis. 2. Quia, licet Romana Ecclesia sit omnium prima & Magistra, aliarum tamen Ecclesiarum jura non abrogat, sed e contra servari intendit. Undè Gregor. XIII. in Bulla ut Breviarii data 1584. prohibet Carmelitibus, ne alio Breviario, quam proprio Ordini, utantur tam in Choro, quam extra.

Attamen, si sit consuetudo communiter recepta, videntibus, & non contradicentibus Superioribus in aliquibus Diocesis, qualis videtur esse in hac Diocesi Leodiensi, ut particulares utantur privatim Breviario Romano, licet Chorus utatur proprio, non puto esse damnandum, cum adsit consensus saltem tacitus Episcopi & Capituli; aliudè consuetudo potest derogare Legi. Cæterum nihil tale in meo Prædicatore Ordine, in quo a supremo ejus capite præceptum est formale, non utendi alio Breviario, quam Breviario Ordinis.

Petes 3. quo Breviario uti debeat, qui ex dispensatione est præbendatus in duabus Ecclesiis, in quibus sunt diversa Breviaria. R. rationaliter (Quoad. 1. q. 7. a. 1.) videtur, quod debeat dicere Officium illius Ecclesie, in qua majorem gradum habet, puta, si in una sit Decanus & in alia simplex Canonicus, debet dicere Officium Ecclesie, in qua est Decanus. Quod si in utraque Ecclesia sit simplex Canonicus, debet dicere Officium dignioris Ecclesie: hæc intellige de recitatione privata, quia in Choro debet se conformare Officio, quod illic recitatur.

Dico 2. (Quoad. 3. q. 13. a. 2.) Unusquisque tenetur recitare Officium secundum formam specialem, hoc est, secundum distributionem in dies & tempora Breviarii, cui adstringitur, dicendo v. gr. de Sanctis, de Dominica, de Feria, &c. quando sic præscribitur, ita ut peccati lethalis reus foret, qui passim pro libitu ab hac forma recederet; imò etiam si semel, quando mutatio foret multum deformis, ut si in Dominica Palmarum recitaret Officium Paschale, aut die Natalis Domini recitaret Officium Feriæ. Quia in utroque casu graviter recederet ab ordinatione, & mente Ecclesie. Ità communiter Casuistæ. Undè jure damnata est ab Alexandro VII. hæc propositio: In die Palmarum recitans Officium Paschale satisfacit præcepto. Si vero mutatio sit levis, etsi fiat sine causa, non excedit culpam venialem secundum Cajet. Navarr. & communiter. Quia non est notabiliter recedere ab ordinatione & mente Ecclesie.

Subsistente autem causa aliqua honesta, & rationabili, omni culpa vacabit. Cause rationabiles sunt, non solum impotentia, vel notabilis difficultas; sed insuper primò inculpabilis error, ut si inadvertenter hodie dixeris unum Matutinum pro alio, inprehensio errore, non teneris repetere, sed potes citra culpam prosequi idem Officium, nisi sit omnino enormis difformitas. Secundo conformitas, ut si itinerando, v. gr. aliquam moram trahas in Diocesi, vel Oppido, ubi celebratur solemniter a Populo, vel Clero aliquod Festum, potes te illi conformare. Tertio scietas, ut si debeas recitare cum aliquo Viro gravi, v. gr. Episcopo, & alia similes cause honestæ. Ratio est; quia juxta regulam, quam tradunt plures Auctores, Theol. Bilsnar. Secunda Secundæ.

quandò Ecclesia aliquid præcipit, aut prohibet sub levi culpa, levis causa sufficit, ut abstergetur culpa. Quidam addunt singularem devotionem, puta erga aliquem Sanctum; sed puto ego, non esse meliorem devotionem, quam obdere Ecclesie.

§. VI. De Tempore, Ordine, Loco, & Situ recitandi Horas Canonicas.

Nota. Tempus Horarum Canoniarum spectari potest quoad primævam earum institutionem, & quoad hodiernam Ecclesiarum consuetudinem. Circa primam distinguendus est duplex dies; naturalis unus, complectens 24. horas æquales a media nocte ad mediam noctem; alter artificialis complectens 12. horas ab ortu ad occasum Solis: similiter Nox artificialis complectens pariter 12. horas ab occasu ad ortum Solis; ita ut horæ hujus diei longiores sint in æstate, breviores in hyeme, & e contra horæ noctis longiores in hyeme, breviores in æstate. Dies artificialis dividebatur in 4. partes æquales, sive in 4. quadrantes: tres horæ profanæ primi quadrantis dicebantur Prima sacra: tres horæ secundi quadrantis, Tertia sacra: tres horæ terti quadrantis, Sexta: tres horæ quarti quadrantis, Nona: ita ut una hora sacra, seu Oratio sacra, contineat tres horas profanas, Prima incipiens ab ortu Solis: Tertia incipiens finiente hora tertia profana: Sexta finiente nona profana, si que tardius, aut citius, secundum quod Sol tardius, aut citius oritur & occidit. Similiter nox artificialis dividebatur in 4. quadrantes, quorum singuli complectebantur pariter tres horas breviores, vel longiores secundum ortum & occasum Solis, & dicebantur Vigilia, vel Custodia, prima incipiente ab occasu Solis, quarta deficienti ad ortum Solis. Harum Vigiliarum meminit Christus Luc. 12. dicens: Si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit &c. easque clarè distinguit Arnobius Junior (floreat anno 450.) in illa verba Psal. 120. a custodia matutina usque ad noctem, dicens: custodia matutina quarta pars noctis est: ergo custodia prima a Vespera incipit: secunda medium noctis attingit: tertia gallicantus transit: quarta est in vigilia matutina, que in ortum luminis adimpletur. His notatis,

Dico 1. Horæ primitus recitatz fuerunt temporibus, quæ ipsi earum termini exprimunt, scilicet Prima hora sacra diei artificialis prima, quæ in æquinoctiis incipit hora sexta matutina, in æstate vero vel hyeme citius, vel tardius. Tertia hora tertia. Sexta hora sexta. Nona hora nona. Vesperæ & Completorium prima vigilia, id est, post occasum Solis: quæ vero dicuntur modo Matutinum, seu tres Nocturni, secunda, tertia, & quarta vigilia divisio Nocturnis per Vigilias, sicut præter S. Th. (In c. 14. ad Cor. lect. 6.) docent S. Hieron. Ep. ad Eusth. De Custod. Virg. Isidor. l. 1. de Officiis Ecclesie c. 19. Amalar. libr. de Ord. Antiph. c. 4. Hugo a S. Victor. libr. 1. de Offic. Ecclesie. Thomas Wald. libr. de Sacramentali. cap. 24. Durandus in Ration. l. 3. c. 5. Navarr. cap. 3. De Oratione n. 28. & alii contra Azorium. Sicque tunc Horæ Diurnæ erant Laudes cum Prima, Tertia, Sexta & Nona: Nocturnæ autem Vesperæ, Completorium, & tres Nocturni, qui nunc dicuntur Matutinum. Circa Laudes notandum, in quibusdam Ecclesiis habitas fuisse ut preces matutinas, quæ hora diei prima recitabantur autè Primam: in aliis vero, & præsertim in Ecclesia Romana conjunctas fuisse Nocturnis, ut notant Amalarus & Hugo a S. Victore citati. Hæc de tempore Horarum juxta primævam earum institutionem. Undè

Dico 2. Nunc vero variæ sunt Ecclesiarum consuetudines. In solis fermè Monasteriis recitatur Matutinum cum Laudibus media nocte: in aliis vero Ecclesiis, sive Cathedralibus, sive Collegiatis summo mane: in aliquibus, juxta Layman, prædicè ab solis occasu. Prima orto sole: Tertia & Sexta circa nonam: Nona circa meridiem: Vesperæ secunda vel tertia post meridiem: Completorium post occasum Solis. Quod tempus juxta cujusque Ecclesie morem sic in Choro servandum est, ut possit esse grave peccatum, si sine causa notabiliter anticiparetur, aut differretur; quia inde facile oriretur scandalum, & Populi devotio impediretur.

Circa vero recitationem privatam consultum est se conformare Choro. Sed censent communiter Doctores, non excedere culpam venialem, si totum Officium incipiendo a Matutinis intra 24. horas a media nocte ad mediam noctem integre persolvatur; quia salvatur substantia præcepti. Erit tamen peccatum veniale differre sine causa Matutinum, Primam, Tertiam, Sextam post me-

ridiē, aut anticipare Vesperas & Completorium ante meridiem, & eò gravius, quò major erit anticipatio, vel dilatio, maximè si totum Officium differatur in seram noctem: nullum tandē erit peccatum, si in his iusta causa subsit.

Dixi: incipiendo a Matutinis; quia primæ Vesperæ cum Completorio sub mortali recitandæ sunt pridie.

Petes: quid censendum de recitatione Matutini pridie? R. (Quodl. 5. a. 8. ad 5.) Quòd, cum dies Officii Ecclesiastici & Solemnitatis incipiat a primis Vesperis, si aliquis post dictas Vesperas & Completorium dicat Matutinum, iam hoc pertinet ad diem sequentem & satisfacit. (Ibid. 6.) Si tamē hoc faciat propter lasciviam, ut scilicet quietius somnolentia & voluptati vacet, non est absquē peccato. Si verò hoc faciat propter necessitatem licitarum & honestarum occupationum, puta, si Clericus, aut Magister debeat de nocte, vel mane videre Lectiones suas, potest sine ullo peccato de sero dicere Matutinas, & in aliis Horis Canonici tempus prævenire, sicut etiā fit in aliquibus Solemnibus Ecclesiis: quia melius est Deo utrumque reddere, scilicet & debitas laudes & alia honesta officia, quam quòd per unum aliud impediatur. Hæc S. Doctor.

Verùm ab ejus temporibus videtur usum invaluisse etiā apud timoratos, ut nulla subsistente necessitate, Matutinum cum Laudibus, aut sine Laudibus, pridie absquē scrupulo peccati possit recitare. Imò circumfertur Decretum Romanum determinans Horas, quibus Matutinum pridie possit persolvi, scilicet:

Januario & Decembri, medio tertie.

Februario & Novembri, quadrante ante tertiam.

Martio & Octobri, hora tertie.

Aprili & Septembri, quadrante post tertiam.

Majo & Augusto, medio quartæ.

Junio & Julio, quadrante ante quartam.

Advertunt Auctores, quòd, cum Matutinum separatur a Laudibus, debeat saltem ex congruo, terminari per Collectam, & Laudes inchoari per *Pater noster*.

Dico 3. Ordinem Horarum invertere sine causa culpa est; at juxta communem Doctorum sensum non nisi venialis, quia hæc inordinatio non videtur gravis. Subsistente verò aliqua rationabili causa, nulla erit culpa, v. gr. si carens Breviario habeas Diurnale, potest parvas Horas recitare ante Matutinum: si inviteris ab infirmo, vel viro gravi, ut cum ipso legas Matutinum diei sequentis, nondum lectis Vesperis, aut Completorio: si cum tardè accessis ad Chorum, prior Hora jam sit finita, aut inchoata, laudabilius pergis cum Choro, postea Horam, vel partem Horæ omissam lecturus, quam si omissa volens repetere, Chorum tuæ vocis obsequio defraudes. Ità communitèr Auctores. Id ultimum advertant scrupulosi.

Dico 4. Missam celebrare ante persolutum Matutinum cum Laudibus, nulla exigente causa, non licet, secundum Rubricas Missalis Romani & Ecclesiæ consuetudinem, vim Legis habentem, juxta illud Aug. Ep. 86. ad Casulanum: *In his rebus, de quibus nihil certi statuit divina Scriptura, mos populi Dei & instituta majorum pro lege tenenda sunt; & sicut prævaricatores divinarum Legum, ità contemptores Ecclesiasticorum consuetudinum cohercendi sunt.* Refertur in Jure dist. 11. cap. *In his.* Confirmatur autoritate Innocentii IV. Ep. 10. ad Ottonem Cardin. Episcopum Tusculan. ubi sic loquitur: *Sacerdotes autem dicant Horas Canonicas more suo: sed Missam celebrare, priusquam Officium Matutinale compleverint, non præsumant.* Idem statuunt varie Synodi Provinciales.

Nec dicas, inter Missam & Officium non esse connectionem magis, quam inter Officium & Communionem. Estò non sit ex natura rei; est tamē ex Jure & consuetudine vim Legis habente, ut dictum est.

Quanta autem sit culpa? Antiquiores Casuistæ, S. Antonius, Durandus, Gabriel, &c. opinati sunt, esse mortalem. Recentiores verò, scilicet Soto, Toletus, Bellarminus, Aragon, & alii communis tenent esse tantum venialem; quibus subscribimus: quia hæc ordinis inversio respectu Matutini & Missæ non videtur gravior, quam respectu Horarum inter se, quam tamē communi Doctorum judicio diximus esse tantum venialem. Omni verò culpa vacabit, si sic exigat aliqua honesta causa.

Dico 5. Officium publicum debet recitari in Choro, seu Ecclesia juxta prescriptas caeremonias, puta standi, sedendi, inclinandi, genuflectendi, &c. Privatum recitari potest in quovis loco honesto, a distractionibus tamē alieno; & quovis situ decenti, sive stando, sive sedendo, sive genuflectendo, sive honestè deambulando.

§. IV. De Integritate & Interruptione Horarum.

Dico: Eadem lege præcipitur Horarum integritas, qua & ipsæ Horæ. Ecclesia enim non præcipit Officium mutilum, sed integrum. Undè lethalis peccati reus est, qui illarum partem notabilem culpabiliter omittit, sive in eadem Hora, sive in diversis Horis ejusdem diei. Pars notabilis inter varias Doctorum opiniones probabilis & communis censetur una parva Hora, vel pars illi æquivalens: quia, licet non sit quid notabile respectu totius Officii, est tamē quid notabile in se spectatā, & attento sine Ecclesiæ. Dixi: *Sive in eadem Hora, sive in diversis Horis ejusdem diei*; quia plures leves omissiones, etiā in diversis Horis, possunt integrare unam partem notabilem sufficientem ad peccatum mortale: sicut v. gr. qui in eadem die jejunii plurib; levitèr comederit, posset tandē mortalitèr peccare contra præceptum jejunii; secus, si in diebus distinctis: quia præceptum jejunii, sicut & Horarum, suo cuique diei est affixum, ità ut expirante die, expiret; & idèò, qui uno die omisit Horas, vel partem notabilem, non tenetur sequenti die repetere; sed penitere & satisfacere secundum iudicium Confessarii.

Excipiunt communitèr Auctores eos, qui ministerio aliquo ad Chorum spectante occupati, puta deferendo libros, aut luminaria, thus adolendo, aut parando, pulsando campanas, Officium volvendo, aut præparando, &c. plura levia hinc & inde omittunt: quia Chorus, cuius sunt membra, & quocum unum corpus mysticum efficiunt, supplet pro ipsis. Id equidem verum puto, si commodè hæc ante Officium facere, seu disporre non poterint, & modò aliis recitantibus in quantum possunt attendant. Si tamē longior, aut frequentior foret occupatio, ità ut quid notabile in eadem Hora omitterent, existimo esse postea supplendum: & idem censeo de Organista, & de ejus adiutore.

Nota. Qui verò in Choro sunt voluntariè distracti, aut culpabiliter aliquid omittunt, non debent statim repetere cum distractione aliorum & detrimento Chori, sed pergant cum Choro, & finito Officio voluntariè omitta, aut distracta suppleant per eorum repetitionem, vel etiā si omissione, vel distractio foret levis, per aliquid æquivalentis.

Ex dictis inferes, eos, qui mutilant Officium sincopando, truncando, balbutiendo, verba, aut syllabas absorbendo, &c. peccare pro quantitate materie, nisi balbuties naturalis, aut acquisita inemendabilis eos excuset. Idem censendum de iis, qui recitantes cum socio, vel in Choro resumunt versiculos, antequam socius, vel alter chorus absolverit, qui aut non communicant alteri partem citius resumptam, nec audiunt alios versiculos nondum ab altero absolutos.

Advertunt tamē, nec improbabilitèr, quidam Auctores, Bonacina, Lessius, & alii, quòd, nisi excessus sit enormis, raro sit peccatum mortale in his casibus: quia, juxta regulam satis communitèr receptam, sic debemus loqui in moralibus, ut non detur ingressus scrupulis; infinitis autem scrupulis aperiretur via, si propter leves quasdam mutilationes, quæ tam facillè & ex tor causis irrepunt; constitueretur tandē in fine totius Officii materia peccati mortalis. Idem dicendum puto de defectu attentionis, de qua infra.

Petes 1. Utrum, qui Sabbatho sancto Vesperas omittet, peccaret mortalitèr? R. Quidam affirmant; quia est integra Hora, & numerus Horarum est in præcepto: negant alii, & probabilis; quia licet sit integra Hora & numerus Horarum sit in præcepto, est nihilominus materia levi, quæ in rebus præceptis excusat a mortali.

Petes 2. Utrum, qui omnes, aut plures Horas omittit in die, committat unum tantum peccatum, an e contra tot, quot Horas omittit. R. Probabilis & communis committere tantum unum peccatum, gravius tamē, aut levius secundum quòd pauciores, vel plures Horas omittit. Quia, licet omnes Horæ sint præceptæ, non tamē distinctis præceptis, sed unico præcepto per modum unius Officii injunguntur. Plura tamē peccata hæc in re possunt irrepere, si nempe plurib; in die iteret voluntatem prius revocatum omittendi.

Petes 3. Utrum sufficiat mente legere Officium? R. Negativè: quia est oratio vocalis, & Conc. Basil. §. *Qualiter Horæ* jubet, ut Clerici Horas persolvant, *Non in gutture, vel inter dentes, seu deglutendo, aut sincopando dictiones & verba, sed reverentèr verbis distinctis, sive soli, sive sociati cum aliis Officium diurnum nocturnumque per-*

persolvant. Sic ergo vox formari debet, ut recitans se ipsum audire possit, nisi obster vel surditas, vel sonus campanarum, vel allarum rerum strepitus, aut aliud simile impedimentum.

Petes 4. An, qui non potest totum Officium recitare, vel quia est infirmus, vel quia caret Breviario, aut est aliis Officiis necessarius occupatus, potest autem partem, teneatur ad illam? R. 1. Qui potest unam integram Horam recitare, sive parvam, sive magnam, certum est ad illam teneri; quia quælibet Hora subjacet præcepto. Undè damnata est hæc propositio ab Innocentio XI. *Qui non potest recitare Matutinum & Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil teneri; quia major pars trahit ad se minorem.* R. 2. Qui potest recitare partem notabilem alioquin Horæ, sive major sit, sive minor; probabilis est ad eam teneri: quia præceptum, quod non potest integrè adimpleri, debet saltem adimpleri pro parte possibilis, quando obligatio est divisibilis: sicut, qui non potest jejunaire integrè, debet abstinere a carnibus, si possit; qui non potest jejunaire tota Quadragesima, debet jejunaire certis diebus, quando potest: qui debet centum, quæ solvere non potest, tenetur solvere decem, si possit; quia ratio, excusans a toto, non currit pro parte possibili. Igitur infirmus, aut carens Breviario, qui possit cum Diurno, aut memoritèr recitare, v. gr. Psalmos Matutini, ad id teneri censemus. Si tamē non possit tantum levem aliquam partem, puta Hymnum, unum vel alterum Psalmum, ad id non videtur adstrictus; quia, ut jam dictum est, in simili casu, nimia foret perplexitas; cum nullus sit etiā infirmus, qui non possit aliquid leve recitare, & infirmo sit difficile resolvère quantum possit. De infirmitate rursus dicemus, dum de causis excusantibus a Breviario.

Petes 5. Utrum, qui non potest solus recitare totum Officium, teneatur assumere socium? Suppono antè responsum, licere assumere socium (sive iste sit Clericus, sive non) quocum alternis versibus Officium persolvat, modò pars ab uno recitata ab alio audiat. Id patet ex usu Ecclesiæ, non quidem per privilegium aliquibus concessum, sed per consuetudinem & Jus commune pro omnibus inductum. Undè ex mente Ecclesiæ in tali casu auditus pro voce substituitur, & oratio vocalis unius fit propria alterius audientis. Idem dic de aliis orationibus, quas ex voto, vel ex injuncta poenitentia recitare tenemur. Dixi: *Quocum alternis versibus Officium persolvat*; quia non secus ac in Choro sufficit, si unus omnes Lectiones, omnes Antiphonas, & omnia Responsoria recitet altero audiente, modò Psalmos & Hymnos versibus, aut strophis alternis quasi duplici Choro recitent: non tamē sic, ut unus unum Psalmum, alter alterum Psalmum integrum, aut unum Psalmum, alter Lectiones recitet; neque triplici aut multiplici Choro, si plures simul recitent; quia id non fert Ecclesiæ consuetudo. Dixi etiā: *Modò pars ab uno recitata ab alio audiat*; quia, cum quilibet vi præcepti teneatur ad totum Officium, si partem suam non faciat recitandum, debet facere suam audiendo. Et idèò non crederem, surdum recitantem cum socio, cum possit solus, satisfacere præcepto: secus tamē, si recitaret in Choro. Ratio disparitatis est: 1. Quia, cum, ut suppono, teneatur adesse Choro, non censetur Ecclesia voluisse tantam adstringere ad recitandum bis Officium. 2. Quia, cum sit pars corporis mystici, oratio Chori censetur propria cuilibet ejus membro, obicem voluntarium non ponenti: quæ due rationes non currunt pro recitatione libera cum socio. Iisdem etiā rationibus censent communitèr Auctores, eos in Choro satisfacere, qui, attendentes ut possint, quædam ab aliis recitata non percipiunt, sive ob strepitum, sive ob exilitatem vel ræcedinem vocis recitantis. His suppositis,

R. ad questionem, eum, qui non potest solus recitare Officium, teneri assumere socium, si commodè haberi possit. Quia Lex obligat, ubi commodè servari potest, tenemurque humanam diligentiam ejus observationi adhibere. Si dicas, quòd recitare cum socio, sit gratia & privilegium, quo uti nemo tenetur. R. negando assumptum, ut patet ex dictis. Sed esto sit respectu potentis alter satisfacere, non est tamē gratia, sed præceptum respectu illius, qui non potest alter satisfacere; quia Ecclesia præcipiens recitationem Horarum indubie præcipit presentis casu, Lex observatu evadat facilior; quis enim dicat Legem non obligare, quod sit observatu facilis? Dixi tamē: *Si commodè habere possit*: v. gr. si socius se spontè offerat, vel levitèr rogatus annuat: qui autem non nisi admodum ægrè habere posset socium, aut

illum mercede conducere deberet, non videtur in rigore obligatus, nisi esset pinguis Beneficiatus.

Petes 6. Utrum, quæ cantantur in Organis, debeant in Choro recitari? R. Quidam negant, eò quòd Ecclesia videatur sonum Organorum pro cantu assumpsisse. Sed id non constat: idèòque probabilis & tutius existimo ea in Choro esse recitanda vel submissa voce a particularibus, vel alta voce ab uno solo pro toto Choro, ut fit in pluribus Religiosis, signanter in mea.

Dico 2. Horam inceptam, excepto Matutino respectu Laudum, absquē causa notabiliter interrompere, culpa est; juxta plures Auctores non nisi venialis. Ratio 1. partis est; quia, si irreverentiæ sit culpandus, qui cum Rege colloquens sermonem absquē causa abrumpit, & ad aliud divertit, multo magis qui cum Divino Numine colloquens orationem inceptam abrumpit, & colloquia cum hominibus miscet, aut terrenis rebus vacat. Adde, esse infractionem ordinis ab Ecclesia instituti. Ratio 2. partis. Nulla apparet Lex naturalis, aut positiva, quæ hanc interruptionem tam severe prohibeat; eò maxime quòd quilibet Psalmus, quilibet Hymnus, quælibet oratio, quælibet fermè versiculus habeat sensum completum independentèr ab aliis, & sit per se quedam aut oratio, aut laus, aut sententia, aut instructio. Citatur a quibusdam in oppositum Canon Nullus. *De Consecrat.* dist. r. Sed ibi agitur de interruptione Missæ, non Breviarii. Et idèò, quantacumque sit interruptio, modo totum Officium intra viginti quatuor horas compleatur, lethalis peccati arguere non audeam; tutius tamē cum Navarro & aliis repetitionem ex integro consulerem, ubi valde notabilis foret interruptio sine causa.

Dixi 1. *Excepto Matutino respectu Laudum*; quia licet censeantur una tantum Hora, obinuit tamē praxis etiā apud timoratos, ut etiā sine causa separentur. Idem censent plures Auctores, nec improbabilitèr de ipsis Nocturnis inter se (modò separatio non excedat unam, vel alteram horam) quia hæc fuisse praxim primitivæ Ecclesiæ docent plures SS. Patres, ut dixi initio §. 6. Dixi 2. *Notabiliter*; quia levis interruptio pro nulla reputatur. Dixi 3. *Absque causa*; quia subsistente aliqua rationabili & honesta causa, nulla erit culpa, ut si voceris a Superiore, si aliquid occurrat faciendum ex officio, aut ex charitate, puta Confessio audienda, æger sublevandus &c.

§. VIII. De intentione & attentione requisitis ad Horas.

Intentio.

Nota: licet intentio & attentio quandoquæ confundantur, differunt tamē. Intentio est actus voluntatis, nempe volitio aliquid faciendi. Attentio actus intellectus, nempe consideratio, seu advertentia mentis ad aliquid. Intentio est triplex, actualis, virtualis, & habitualis. Actualis est, cum quis actu & de facto aliquid vult facere, & hoc sive explicitè & in actu signato, dicendo v. gr. hoc intendo, hoc volo: sive implicitè & in actu exercito, ut cum advertens quid agat, volens illud agit: v. gr. in proposita materia, cum quis advertens ad tempus & obligationem Horarum, Breviarium aperit, legendam quærit, recitat, &c. licet formalitèr non dicat intendo, aut super intentionem explicitè non reflectat. Virtualis est virtus ab actu precedente reflecta, seu motio quedam vi primæ intentionis actualis impressa potentis externis, qua opus inceptum, v. gr. recitatio Breviarii continuatur. Et hæc durat, quoad opus inceptum continuatur, quantumvis ex innata fragilitate involuntariè ad alia distrahatur, modò non revocetur, vel directe per contrariam intentionem, vel indirectè per opus incompossibile. Habitualis est quedam propensio ad aliquid faciendum ex acibus frequentatis reflecta, qualis esse potest in dormientibus, ebriis, amentibus, qui ex assuetudine ad certas actiones quandoquæ v. gr. loquuntur, sicut in meo.

Dico 1. Divino Officio adstricti tenentur illud persolvere cum aliqua intentione orandi & colendi Deum. Prob. Recitatio Horarum, ut ab Ecclesiâ præcipitur, est actus Religionis, nempe oratio & cultus Dei; sic enim ferunt omnes Canones, & est sensus omnium; atqui secundum se recitatio Horarum est indifferens vel ad cultum Dei, vel ad studium, vel ad curiositatem, &c. ergo determinari debet ad actum Religionis per aliquid, quod non potest esse aliud, quam intentio recitantis.

Habitualis non sufficit; quia non facit actum humanum. Virtualis sufficit in decursu recitationis, (3. p. q. 64. a. 8. ad 3.) quia actualis per totum Officium non est homini possibilis, cum enim homo vult multum intendere

re, præter intentionem incipit alia cogitare. Virtualis autem supponit actualem: requiritur ergo, quod aliquando præcesserit actualis, saltem implicita, orandi & colendi Deum, ut dictum est. Non enim est necesse, quod recitans actu formali & explicito dicat: *intendo orare Deum, intendo colere Deum*; sed sufficit, quod obligationi suæ satisfactorius, aut illius memor, accedat deliberatè ad Chorum, Breviarium assumat, legat, recitet, per modum orantis & colentis Deum; in his enim actionibus includitur intentio orandi & colendi Deum. *Qui petit, vel accipit Breviarium, inquit Navarrus Casuistarum antiquissimus De orat. & Horis Canon. c. 13. n. 6. cum proposito expresso recitandi ut debet, vel animo deliberato capit Breviarium, & ad Ecclesiam it, vel simile quid facit, ita ut interrogatus, quare id faciat, verè responderet se id facere ad recitandum, vel satisfaciendum suæ obligationi, habet sufficiens propositum attendendi, atque adeò orandi, siquidem Ecclesia præcipit recitationem per modum orationis.* Ita laudatus Auctor, & alii communitè.

Nec obstat conclusio nostre, multa contineri in Breviario, quæ neque sunt orationes, neque laudes Dei, v. g. variæ Historiæ, quæ referuntur in Lectionibus & Psalmis, & plura alia similia; licet enim in se non sint laudes Dei, possunt tamèn proferri ad laudem Dei, quatenus nempe vel ab eo revelata sunt, vel Sanctis, aut aliis dicta sunt, seu facta in ordine ad ipsum, secundum misericordiam, vel iustitiam ejus, aut alia ratione ad Deum reducibili.

Attentio.

Nota. (Hic q. 83. a. 13. o.) Attentio, quæ oratio vocali adhiberi potest, est triplex. Una, quæ attenditur ad verba, ne aliquis in eis erret, & dicitur superficialis: Secunda, quæ attenditur ad sensum verborum, & dicitur literalis: Tertia, quæ attenditur ad finem orationis, scilicet ad Deum, & ad rem petitam, aliavè illius pertinentia, ut sunt mysteria, dona, virtutes, cælestis patria, &c. et dicitur spiritualis. Quælibet ex his attentionibus potest esse actualis, vel virtualis, vel habitualis. Habitualis est propensio ad attendendum, qualis potest esse in dormientibus. Actualis est, quæ quis actu de facto attendit, vel ad verba, vel ad sensum. &c. Virtualis, quæ vi intentionis attendendi præhabita censeatur remanere, ut dictum est de intentione. Ex dictis superiori conclusionem constat, ad Horas non sufficere attentionem habituales, actualem non requiri, nisi ad spiritualem mentis refectionem & consolationem; virtuales autem requiri & sufficere; eadem enim rationes militant pro intentione & attentione. His positus ut certis.

Dico 2. Ut satisfiat præcepto Horarum, optima est attentio literalis, aut spiritualis, ad eam omnes conari convenit. Attamen, supposito animo, seu intentione orandi & colendi Deum, virtualiter saltem perseverante, de qua conclusione præcedenti, sufficit superficialis, seu quoad verba. Dico: *Supposito animo orandi & colendi Deum*; quæ, si absit, quamvis ponatur attentio nuda ad verba, sed etiam ad sensum verborum, recitatio Horarum, quæ est ex se indifferens, ut dictum est, non determinaretur ad esse Religionis, nec foret oratio, aut cultus Dei magis, quam si quis recitaret animo studendi, aut tempus fallendi. Eo vero animo posito cum attentione ad verba habetur exinde quædam attentio, saltem implicita, ad Deum, & per consequens actus Religionis, & oratio quoad substantiam.

Conclusionem sic explicatam non putem a quoquam negari: neque quid amplius erui posse videtur ex ordinationibus Ecclesie, nec aliter plerumque leguntur Moniales. Undè D. Th. in 4. d. 15. q. 4. a. 2. quæstione, 4. referens sub aliis terminis tres assignatas attentiones, dicit: *Quæcumque harum attentionum adsit, non est reputanda inattenta oratio: unde etiam illi, qui non intelligunt orationis verba, ad orationem attentè dici possunt.* Hoc tamèn dictum S. Th. non sic intellige, quasi non requiratur *et* attentio, quæ quis integrè Officium persolvat, & nihil omittat, sed sic quod non sit necessaria attentio formalis & expressa in verba, modò salvetur integritas Officii. Itèm quando S. Doctor dicit hic art. 13. quod attentio spiritualis sit *maximè necessaria*, nihil aliud vult, quam quod oratio fiat animo orandi & colendi Deum, ut explicatum est, quod est quædam attentio implicitè spiritualis.

Quæ huc usque diximus, satis communiter admittuntur ab Auctoribus; sed major difficultas est de attentione interna. Distingunt enim inter attentionem internam & externam; Internam, quæ est ipsius mentis; Externam, quæ nihil est aliud, quam modesta compositio ex-

terior recitantis exactè verba, cum exclusione operum exteriorum attentionem internam impediendum, quantumvis aliunde mens voluntariè distrahatur. Hanc attentionem externam necessariò requiri ad Horas, ut præcepto satisfiat, omnes conveniunt; & id ad minus probant momenta, quæ modò referemus pro conclusione sequenti.

Ex quo inferitur, eum non satisfacere præcepto, qui inter recitandum exercet actiones, sive ex natura sua, sive ex sola inhabilitate intellectus incompatibiles cum attentione interna, quales sunt omnium calculo alia legere, pingere, scribere, confabulari in Choro, altera parte recitante, aliavè similia. E contra inferitur, satisfacere præcepto, nec peccare saltem graviter, qui inter recitandum exercet actiones, vel nihil, vel leviter attentionem internam distrahentes, ut modestè vel ambulare, vel equitare, colligere hanc, aut illam herbam, prospicere prata, hortos, vineas, &c. modestè & absque festinatione se induere, aut exuere, calcæare, caput plectere, manus, faciem lavare, & similia. Proferturquæ a quibusdam, nec male, hæc regula, *Quas actiones exerceo licetè, dum recito preces non debitas, easdem licetè exerceo recitando debitas*; quia utrobique requiritur attentio & reverentia, ne peccetur. Porro, si Horas Canonicas, aut alias preces ex devotione recitarem, exercendo præfatas actiones, aut similes, non peccarem; quod vel inde patet, quod Sacerdotes ex præcepto Ecclesie debeant orare se vestibus Sacris induentes. Nota: est insuper veterum Monachorum praxis coniungendi orationem cum labore; quod & inculcant libri spirituales faciendum a quolibet Christiano.

Restat ergo difficultas de ipsa attentione interna, non quidem utrum peccet ille, qui sine ea voluntariè distractus Horas recitat; conveniunt enim omnes eum peccare peccato irreverentia, sive in oratione libera, sive præcepta: sed utrum satisfiat præcepto de Horis Canonicis, ita ut non teneatur repetere. Affirmant Sylvester, Paludanus, Medina, Rosella, Angelus, Canonick, Comitolus, Diana, Tamburinus, Caramuel, Platel, &c. negant S. Th. Navarrus, Soto, Cajet. Sylvius, Lessius, Layman, Marchantius, & alii plures, quos citat & sequitur Bonacina. Cum quibus.

Dico 3. Certum nobis videtur, non sufficere attentionem externam, sed internam requiri, ut quis satisfiat præcepto de Horis Canonicis. Prob. 1. ex Concilii. Concilium Lateran. sub Innocent. III. postquam retulit varios excessus Clericorum circa commensationes & crapulam, & singularitèr, quod qui divinis Officiis intersunt, *Chori silentium fugientes, intendunt exterius colloquutionibus Latulentium fugientes, intendunt exterius sermones effundunt, dumque auditum ad inaddebitos sermones effundunt, aures intentas non porrigunt ad divina*; subdit: *Hæc igitur & similia sub pena suspensionis penitus inhibemus; districtè precipientes in virtute obedientia, ut divinum Officium, Nocturnum pariter & Diurnum, quantum eis dederit Deus, studiosè celebrent pariter & devotè.* Referat. Miss. ubi Glossa sic ait: *Studiosè quoad Officium oris, devotè quoad Officium cordis.* Similiter intelligunt *Tò Devotè*, Conc. Trevir. 2. Can. 6. Mediolan. 4. p. 3. c. 7. & alia plura apud Nat. Alex. siquæ debere intelligi.

Prob. Oratio vocalis non potest dici, nec esse devota sine attentione interna: ergo. Prob. Ant. Devotio externa non est devotio, sed devotio simulacrum: ergo. Prob. ant. Secundum D. Th. (2. 2. q. 82. a. 1. ad 2.) Devotio non prædicatur de interna & externa, sicut genus de speciebus, sed devotio interna se habet ad externam sicut motio moventis ad mobile: ergo, sicut mobile manet immotum sine motione moventis, sic devotio externa nulla est absquè interna. 2. Secundum eundem S. Doctorem, (*Ibid. o.*) Devotio est voluntas quædam, scilicet promptè tradendi se ad ea, quæ pertinent ad Dei famulatum, & secundum Scotum Quodlib. 2. est pius motus orantis in Deum: ergo nulla est vera devotio absquè actu interiori.

Neque dicas, actum istum interiorem esse ipsam primam intentionem laudandi, vel orandi Deum per verba recitanda; impossibile est enim, hanc intentionem stare in eo, qui nec vult de Deo cogitare, ut fusius dicam modò. Respondent quidam ex adversariis, verba Concilii non importare præceptum, sed consilium dumtaxat, quia dicit: *In quantum Deus eis dederit*, quod significat omnem devotionem, aut attentionem possibilem esse in præcepto. Sed contra. Verba Concilii clarissime important præceptum: *Districtè*, inquit, *precipientes in virtute obedientia*. Quos alios terminos adhibere potuisset ad præ-

ceptum? Dicendum ergo, illa verba, *Quantum eis dederit Deus*, non significare omnem omnino possibilem attentionem, sed attentionem conformitèr gratiæ, quam Deus dederit; & hoc additum est propter evagationem naturalem mentis: talem autem attentionem esse in præcepto, nullum est inconveniens.

Contentendunt alii, solam devotionem externam hoc decreto præcipi, idque putant colligere ex proemio Canonis, in quo reprehenduntur Clerici, qui per synopas recitabant Officium, & confabulando ei intererant: idque videtur finis legis, & ideo ad cavendum primum defectum præcipit, ut studiosè dicatur; ad cavendum secundum præcipit, ut devotè. Utrobique autem erat indevotio externa, quam eliminare contendit Concilium. Sed contra. Fateor, hanc duplicem indevotionem externam verèrè prohiberi isto Canone, dum post eorum expositionem factam decoruit his verbis: *Hæc igitur & similia sub pena suspensionis penitus prohibemus*. Sed ibi non sinit, cultum insuper internam præcipi, dum subdit: *Districtè precipientes in virtute obedientia, ut Divinum Officium studiosè, & devotè celebrent.* Ut quid enim hæc addidisset, si solam indevotionem externam amovere intendisset, quam priori prohibitione jam amotam & damnatam sanciverat. Quoad legis proemium, non semper continet finem legis adequatum, imò quandoquè nihil de fine, sed occasionem tantum condendæ legis refert. Insuper optima Regula legum interpretandum est, ut verba accipiantur secundum proprietatem significationis; devotio autem, ut dictum est supra, proprie significat actum internum, sine quo, quod exterius patet, non nisi improprie potest dici devotio.

Confirmatur: Concilium iuxta adversarios præcipit devotionem externam; atqui devotio externa non est essentialitèr, & proprie devotio, nec constituitur in specie actus Religionis sine interna, ut diximus: ergo præcipiendum directè devotioem externam, indirectè præcipit internam. Ad stipulatur Conc. Trid. Sess. 24. *De Ref. c. 12.* sub finem ubi mandat, ut Clerici compellantur ad obeunda Divina Officia, *Atque in Choro ad psallendum instituto Hymnis, & Canticis Dei women reverentèr, distinctè, devotèque laudare.* Per *Tò Reverentèr* præcipitur modesta corporis compositio per *Tò Distinctè* præcipitur recta verborum pronuntiatio: & *en tota*, quam dicunt, devotio externa: ergo per *Tò Devotè* præcipitur interna: alias hæc particulam frustra addidisset Concilium.

Accedit Doctor Angelicus in 4. dist. 15. q. 4. a. 2. q. 4. o. ubi sic dicitur: *Attentio actualis requiritur ad orationem aliquo modo, vel ad evitandum transgressionem in illa oratione, quæ est in præcepto, vel ad meritum in illa, quæ non est in præcepto, sed non omnibus modis.* Deinde explicat, quomodo requiritur attentio actualis, non secundum essentialitèr actus, sed secundum virtutem, hoc est attentio virtualis; & loquitur de attentione interna, ut patet ex toto textu quæstionulæ, & maxime ex his verbis, quæ subiungit ad præcedentia. *Movet enim secundum virtutem, quando aliquis ad orationem accedit cum intentione aliquid impetrandi, vel Deo debitum obsequium reddendi, etiamsi in prosecutione orationis mens ad alia rapiatur: nisi tanta fiat evagatio, quod omnino deperat vis prime intentionis, & ideo oportet, quod frequenter homo cor revocet ad seipsum.* Favet S. Antoninus, quem tum esse volunt adversarii: is enim in summa Confessionali 3. p. Interrogatorii. c. 11. *De Clericis* pag. 319. sic ait: *Si mens circa alia vagatur voluntariè non curans, & sic quasi per totum Officium, videtur mortale. Secus, si proponit velle attendere, & distrahitur; scilicet cum advertit, displicet ei.*

Prob. 2. ratione. Ut quis satisfiat præcepto de Horis Canonicis, debet habere animum, seu intentionem saltem virtualitèr perseverantem orandi, & colendi Deum; Ecclesia enim præcipit recitationem Horarum sub ratione orationis, & cultus Dei, atque ut actum Religionis; neque id negant adversarii; atqui stare non potest intentio orandi, & colendi Deum cum voluntariis distractionibus: ergo. Prob. Minor. Implicat, aliquem velle habere mentem ad Deum elevatam, & ipsi conjunctam (hoc enim importat Oratio, quæ est ascensio mentis ad Deum) & ab illo abstractam: itèm implicat, illum velle colere Deum, de quo cogitare non vult, imò quem vult offendere, & ipso actu offendit; fatetur enim adversarii, talem saltem venialitèr peccare peccato irreverentia: ergo. &c. Confirmatur. Eodem modo Ecclesia præcipit Clericis recitationem Horarum, quæ præcipit omnibus fidelibus annuam Confessionem; atqui præcepto annuæ Con-

fessionis non satisfiat per Confessionem sine dolore interno: ergo nec præcepto Horarum sine attentione interna.

Itaque merito a Clero Gallic. confixa est hæc propositio: *Præcepto satisfiat, qui voluntariè labiis tantum, non mente orat.* Meritò, inquam, confixa est, ut *absolutè, verbo Dei contraria, hypocrisis inducens, a Prophetis, & Christo damnata his verbis: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.* Quæ Christi sententia ferit profectò Patronos adversæ sententiæ.

Solvantur Objectiones.

Obj. 1. Ecclesia non potest præcipere actus merè internos: ergo. R. D. Ant. Ecclesia non potest directè præcipere actus merè internos, transeat antecedens, negatur enim a pluribus: indirectè, N. Ant. Hoc ipso enim quo actus internus est necessarius, ut actus externus constituitur in certa specie moris, dum Ecclesia actum externum directè præcipit, indirectè præcipit internum. Sic dum præcipit Confessionem externam ut actum virtutis Pœnitentiæ, simul indirectè præcipit dolorem internum, sine quo Confessio externa non foret actus virtutis Pœnitentiæ, eam præcipit ut actum Religionis; nempe in orationem, & laudem Dei, pròindeque præcipit indirectè attentionem internam, sine qua recitatio Horarum non foret oratio, nec laus Dei, ut probavimus. De hoc argumento latius in materia de legibus.

Inst. 1. Oratio vocalis est vera oratio sine attentione interna: ergo. Prob. Ant. Qui inchoat v. gr. orationem Dominicam cum intentione totam recitandi, & petendi quicquid in ea continetur, quando profert illa verba, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, representabit Deo petitionem suam, & desiderium panis quotidiani, licet de hoc tunc non cogitet, sed sit ad prophana voluntariè distractus, censebiturque nihilominus hæc verba humano modo proferre: ergo. Prob. Ant. 1. Qui recitando hæc verba, *Panem nostrum*, &c. cogitaret aliquid aliud pium, puta Incarnationis Mysterium, proferret illa verba humano modo, & verè Deo suam petitionem representaret, secundum nos; atqui tamèn non esset eis magis attentus, quam si prophana cogitaret: ergo. Prob. 2. idem ant. Nemo negabit, me verò petere a Principe aliquid, quando cum intentione petendi, atque manifestandi desiderium meum, & indignitatem meam recito coram eo verba, quæ scio esse precatória, eisi sim mente ad alia distractus: ergo similiter. Huic argumento, quod est præcipitum fundamentum adversariorum, duplex adhiberi potest responsio. Undè R. 1. D. Ant. Oratio est vera oratio præcisè sine attentione interna, transeat Ant. Devotio interna, qualem præcipit Ecclesia, ut patet ex 1. probatione conclusionis, Neg. Ant. R. 2. Ad probat. N. Ant. quomodo enim dici potest, eum representare suam petitionem, & desiderium Deo, de quo non vult cogitare, imò quem actu ipso vult offendere? Numquid id est potius Deum irridere, quam rogare? Undè ad 1. probat. Antecedentis, N. Conseq. Disparitas est, quòd, qui hoc secundo modo orat, scilicet aliquid pium cogitans, habeat mentem Deo conjunctam, ipsumque religiosè colat, & consequenter verè orat; secus, qui primo modo. Ad 2. probat. N. Ant. pariter Conseq. Disparitas est, quòd homo videt ea quæ parent, Deus autem intuetur cor; & petitio facta homini non sit actus Religionis, sicut ea, quæ fit Deo.

Quæ ut profundius intelligas, omnesque adversariorum cavillationes facillimè elidas, recole nos supra docuisse cum S. Th. (*Hic a. 3. o.*) Orationem esse actum Religionis, adeoque per eam Deo exhiberi honorem, & reverentiam, quatenus homo per orationem subicit se Deo ut Superiori, & se ei presentat ut indigentem suis bonis, atque ab eo ut honorum Auctore pendentem. Hinc duplex est ordo in Oratione, ut etiam ibidem diximus; unus ad rem petitam, alter ad Superiorem, a quo petitus; hic prior est, ille posterior, quia mediante Superiore rem petitam obtinet: indeque obiectum essentialè Orationis Religiosæ non est res petita, sed ipsa orantis subjectio ad Superiorem, quia se ostendit illo indigentem, & profteretur illum sublevare potentem, in quo est cultus, & reverentia. Res verò petita est finis orationis, & obiectum desiderii. Conceive modò, si potest, quo pacto fieri possit, ut is, qui voluntariè mentem a Deo ad prophana abstractit, mentem ipsam Deo conjunctam reverentèr ei subiciat? Quo pacto, qui Deum vult offendere & de facto offendit, eo ipso actu cum religiosè colat? Hæc nobis videntur implicantia, ut jam dictum est.

Inst. 2. (Suppl. q. 29. a. 8. o. & ad 3.) Forma Extremæ-Uncionis secundum D. Th. est essentialiter oratio; atqui ad eam, ut sit valida, nullus huc usque requisivit attentionem internam: ergo R. 1. Juxta 1. solutionem præcedentem internam, D. Ant. est essentialiter oratio præcisè, Transacta argumenti, D. Ant. est essentialiter oratio devota, Transacta in recitatione Horarum, N. R. 2. Juxta 2. solutionem. Dato valere formam deprecatoriam Extremæ-Uncionis absque attentione interna, quod non constat, D. Ant. esse essentialiter oratio, id est, necessario exigit, ut proferatur exterius verbis deprecatoriis per modum orationis, C. Id est, exigit necessario, ut sit vera, & essentialis oratio, N. Cum enim formæ Sacramentorum consistant in verbis, & habeant vim ex institutione Christi, sufficit, si proferantur exterius eo modo, quo Christus instituit cum intentione perficiendi Sacramentum.

Inst. 3. Una species non est de essentia alterius speciei; atqui oratio mentalis, & vocalis sunt duæ species Orationis distinctæ: ergo mentalis non est de essentia vocalis. R. N. Minorem. Sicut enim, ut diximus supra ex S. Th. devotio interna, & externa non sunt duæ species, ita nec oratio mentalis, & vocalis, sed se habent sicut anima, & corpus; sive, ut dicit S. Doctor de devotione, sicut movens ad mobile: unde oratio vocalis absque mentali non est actus Religionis, nec ullam habet bonitatem moralem.

Inst. 4. Invocare, vel laudare falsos Deos, cum distractione voluntaria, est verus actus Idololatriæ: ergo sic invocare, & laudare verum Deum, est verus actus Latricæ. R. N. Conseq. quia plus requiritur ad actum bonum, quam ad malum: bonum enim ex integra causa, malum autem ex quovis defectu.

Inferes tandem cum Platello. Ex nostra Sententia sequitur 1. quod, qui voluntariè distrahitur in Oratione vocali libera, nullam committit irreverentiam, adeoque non peccet, quia eo ipso ab oratione cessat. Sequitur 2. quod, qui est involuntariè distractus, non satisfaciatur præcepto, quia non ponit substantiam rei, consequenter nec orationem. Absurdum utrumque consequens: ergo R. N. Conseq. Ad primum dico, quod, licet talis ab oratione cesset, peccet tamen ratione insignis injuriæ, inquit Chrysostomus hom. 79. ad Antiochenos, quia Divinæ Preces, Psalmi, sacræque Scripturæ verba tunc afficiuntur; est enim irreverentia & species quedam irrisionis, & mendacii velle materialitèr, & corporalitèr orare Deum, ac sancti Spiritus verba per modum supplicantis proferre, formalitèr verò, & spiritualitèr velle ab eo recedere per voluntariam distractionem. Ad secundum disparitas est, quod in distracto involuntariè remaneat intentio, & attentio virtualis, secus in distracto voluntariè, ut probatum est.

Obj. 2. Recitatio Horarum, quatenus nomine, & imperio Ecclesiæ fit, modo exterius devotè persolvatur, laudat Deum, & aliquid ab eo impetrat: ergo R. N. Suppositum antecedentis, scilicet quod tales Preces fiant nomine Ecclesiæ. Non enim Ecclesiæ tales præcipit, cum non sint actus Religionis, nec sic recitantes representant Ecclesiam, quæ & Deum irridere, & ejus iram provocare abhorret. Et tamen dato Antecedente, non inde sequeretur recitantem satisfacere Ecclesiæ præcepto.

Repones: Ecclesiæ laudat Deum pulsu Organorum, nihil utique de Deo cogitantium: ergo a fortiori voce hominum, etsi voluntariè distractorum. R. N. Conseq. Insultum enim nobis videtur, creaturas viventes racionales, & Deo consecratas æquiparari instrumentis inanitatibus brutè, & insensatè boantibus. Ecclesiæ æquidem utitur mediis varii generis ad laudandum Deum, sed secundum conditionem uniuscujusque.

Obj. 3. Non est imponenda gravis obligatio sub mortali sine clara Legge; atqui nulla est clara Lex obligans ad attentionem internam, aut saltem non est sufficienter promulgata, siquidem viri pii, & docti, Ecclesiæ scientes, & non contradicente, doceant contrarium, specialitèr S. Antonius, qui 3. p. tit. 13. q. 7. explicans illa verba Conc. Later. *Quantum Deus eis dederit, studiosè celebrent pariter, & devotè, ut: Ecclesiam ibi opponere consilium fragilitati humanæ, quasi dicat: præcipimus, quod unusquisque de die, ac nocte dicat Horas suas; attentionem verò, & devotionem in præcepto non ponimus, sed gratia Dei, secundum quod dare voluerit, duximus relinquendum:* ergo R. Nobis videri esse claram Legem de attentione interna ad Horas institutam, & sufficienter promulgatam in Scriptura, in Conciliis, in SS. Patribus, & in sanæ Theologiæ principis. Id paritèr visum est Ecclesiæ Gallicanæ, contrariam opinionem proscribenti. Quod si Ecclesiæ Romana nondum eam proscripserit, non se-

quitur, eam in illam consentire; nondum enim omnes opiniones veritati contrarias solemnè Decreto confixit. Quoad S. Antonium, intelligendus videtur de attentione, & devotione actuali; quia loco citato agit contra nimis rigidè sentientes, Ecclesiam præcipere internam devotionem actualem. Et nisi sic intelligas, non poterit secum conciliari, ut patet ex probatione conclusionis. Ceterum non negamus, plures, & graves Auctores præ & contra stare; verum in opinionum conflictu, quod probabilius simul, & tutius nobis videtur, eligendum ducimus.

Obj. 4. Juxta nos sufficit attentio ad verba, non quiddam specialis ad singula (id enim vix, aut ne vix est possibile) sed talis, quæ sufficiat, ut recitans non omittat, aut erret; atqui id etiam requirit Sententia, quam impugnamus: ergo R. D. Majorem. Juxta nos sufficit attentio ad verba cum animo, seu intentione, virtualitèr saltem perseverante, orandi, & colendi Deum, C. sine isto animo, N. Hunc autem animum, seu intentionem stare non posse, contendimus, cum distractionibus voluntariis.

Obj. 5. Sententia nostra exponit variis scrupulis recitantes maximè timoræ conscientiz: ergo R. N. Antecedens. Hoc ipso enim quo quis ex intentione satisfaciendi suo debito Horas legit, modo in decursu distractiones voluntarias non admittat, aut opus impossibile cum attentione non agat, quod non est admodum difficile, verè satisfaciatur.

Petes 1. Utrum Beneficiatus, qui ratione voluntarie distractionis Officio non satisfaciatur, teneatur ad restitutionem pro rata distractionis, non secus ac si non recitasset? R. affirmative. Quia, cum non satisfaciatur, perinde est, ac si non recitaret: sic saltem nobis probabilius videtur cum pluribus contra plures alios, qui volunt Leges obligantes Clericos ad restitutionem tantum loqui de non recitantes, aut omittentes, quæ cum sint odiosæ, non debeat extendi ultra proprietatem verborum: quæ autem exigit attentionem, nullam faciunt mentionem restitutionis. Hæc ratio est quiddam probabilis. Illi tamen respondeo, quod leges obligantes ad restitutionem Clericos non recitantes verosimiliter intelligant de non recitantes eo modo, quo Ecclesiæ præcipit recitare.

Petes 2. Utrum, qui recitando Horas inadvertenter occupatur alicui rei cum attentione interna incompossibili, ut si inadvertenter picturas, aut inscriptiones perlustrat, Officio satisfaciatur? R. Probabiliter affirmative cum Bonac. & aliis contra recentiore Scotistas; modo tamen quid notabile non omittat. Ratio est; quia, sicut involuntariè distractus internè satisfaciatur, licet Ecclesiæ præcipiat attentionem internam, sic involuntariè distractus externè satisfaciatur, licet Ecclesiæ præcipiat attentionem externam. Et alii infiniti forent scrupuli, cum distractiones nostræ sæpè oriuntur ex occupatione externa, puta ex improvisa oculorum evagatione. Idem dicendum de audiente Missam.

Dices cum præfato Scotista. In involuntariè distracto remanet virtus primæ attentionis in ipsa recitatione intenta. At, posito quod sit externè non attentus, nihil est in quo remaneat virtus primæ attentionis, nec recitans se habet per modum orantis: ergo R. N. Minorem. Remanet enim virtus primæ attentionis in ipsa recitatione externa, quam vi primæ attentionis, & intentionis continuatur.

§. IX. De causis excusantibus a Recitatione Horarum.

Deo: Causæ excusantes a recitatione Horarum, sicut ab aliis Ecclesiæ præceptis, generalitèr loquendo, tres assignari possunt: nempe Impotentia physica, Impotentia moralis, & legitima dispensatio. *Impotentia Physica*, ut oblitio naturalis, cœcitas, carentia Breviarii: si tamen partem notabilem memoritèr recitare non possit, ut supra dixi de integritate Horarum. *Impotentia Moralitèr*, quando non potest recitari Officium absque gravi damno proprio, vel alieno, scandalo, aut gravi periculo; licet enim damnus non sit certo futurus, si tamen sit periculum, puta si infirmus non sit certus, quod recitatio Breviarii ei gravitèr nocebit, meritò tamen timeat, videtur liber a recitatione, quia Ecclesiæ non censetur velle obligare nedium cum gravi damno, sed nec cum periculo gravis damni. Tutius tamen esset petere in hoc casu dispensationem a Prelato. Tutum etiam, stare iudicio Medici, aut viri prudentis, & experti. Et nota, quod, quæ sanis forent levia mala, ut capitis gravado, virium lassitudo, & similia; sint graviora respectu ægroti. Nec tamen ideò credimus, omnem infirmitatem excusare ab Horis: sic non putamus febres, quæ dicuntur quartanæ, aut ter-

tianæ, regularitèr excusare, quia regularitèr relinquunt sufficientes tempus ad recitationem Officii, non solum diebus intercalariis, sed etiam plurimum diebus Paroxismi. *Dispensatio legitima*. Summus Pontifex potest in ea lege, sicut in aliis legibus Ecclesiasticis, dispensare, sic ut sive subit justa causa, sive non, modo præces veritate nitantur, maneat valida dispensatio; illicita tamen si fiat sine justa causa. Quia ipse est auctor legis, quam pro libitu potest validè, licet illicite, abrogare.

Episcopus jure ordinario non potest; quia est lex Superioris: potest tamen ex auctoritate præsumptivè delegata a summo Pontifice in frequentibus casibus, ne cogantur fideles continuò ad S. Sedem recurrere, sicut fit in præceptis jejunii, observationis Festorum, & similibus. Prelati Regulares, etiam Conventuales, id paritèr possunt erga suos subditos; quia habent in eos jurisdictionem quasi Episcopalem, & id eis conceditur in eorum Privilegiis. Verum, ut dispensatio, sive Episcopi, sive Prelati Regularis, sit valida, debet subsistere justa causa; quia Pontifex non presumitur aliter ipsis concedere facultatem dispensandi. Porò omne impedimentum dubium potest dici justa causa dispensandi, ut si sit dubium, an infirmus possit recitare, vel totum, vel partem, libeum se putet a toto, vel a parte, quia tunc est periculum, & alii fores continua perplexitas. Etiam graves scrupuli sunt causa sufficientes.

Petes 1. Utrum impeditur recitare Officium statim horis, teneatur accipere intra eandem diem? Affirmative; quia obligatio urget tota die, nec statuuntur horæ ad finiendam obligationem, sed potius ad augendam: alias transacta hora cessaret obligatio recitandi Officium illi correspondens, sicut transacta die Dominica cessat obligatio audiendi Sacrum.

Dixi: *intra eandem diem*: quia dubium est, utrum prævidens se non posse cras dicere Matutinum, teneatur recitare hodie vespèri. Plures respondent non teneri; quia nullo modo hodie urget præceptum de crastino; & quod licet hodie satisfacere pro crastino, est mera indulgentia, seu Privilegium, quo uti non tenetur. Hæc Sententia est probabilis: tutiorem tamen oppositam consulo.

Petes 2. Utrum, qui non potest recitare Horas, teneatur aliquid aliud orare, vel alium recitatem audire, vel alium substituere? R. Negative ad omnes questiones. Ratio primæ; quia præceptum est de tali Officio ab Ecclesiâ ordinato, & non de alio, aliusve precibus. Ratio secundæ; quia præceptum est de recitando, & non de audiendo Officio. Ratio tertiæ; quia præceptum est personale. Ità cum pluribus aliis Navarr. in man. c. 26. n. 100. attamen lege naturali gratitudinis incumbit Beneficiatis & Religiosis orare pro Fundatoribus & Benefactoribus. Quantum verò, quando, & quomodo, non est præceptum.

Petes 3. Quid censendum de Oratione *Sacro-sanctæ*, &c. R. Leonem X. vive vocis oraculo concessisse, ut, qui post quamlibet Horam, aut post plures uno contextu, seu sub parvo intervallo recitatas, hanc Orationem diceret & semel *Pater noster cum Ave Maria*, consequeretur remissionem omnium defectuum in illa, vel illis Horis humana fragilitate, hoc est, per culpam venialem, commissorum: ita ut ab onere repetendi sic recitata eximeretur. Nec obstat, Gregorium XV. & Urbanum VIII. revocasse concessionem & gratias vive vocis oraculo factas; quia eis tantum revocatur, quæ sunt factæ Superioribus & personis cuiuscumque Ordinis, Congregationis, Instituti, & Societatis, vel ipsi Ordinibus, Congregationibus, Institutis & Societatibus; ut ferunt eorum revocationes. Præsens autem concessio non est facta regularibus tantum, sed omnibus recitantes Officium Divinum.

DIGRESSIO HISTORICA.

De Liberatione Trajani Imperatoris ab Inferis.

Ad Art. 6. præcedentis Dissert.

Joannes Diaconus in vita S. Gregorii Magni l. 2. c. 44. narrat ex quibusdam Ecclesiarum Anglicarum monumentis, Trajanum Imperatori ad bellum properanti occurrisse mulierem petentem vindictam de Filio suo perempto, cui Trajanus equo descendentes exemplò jus dixit. Hujus verò pietatis, ac mansuetudinis recordatum S. Gregorium, cum per forum Trajani transiret, ad Basilicam S. Petri pervenisse, & ibi tandem super errore clementissimi Imperatoris delivisse, quousque responsum sequenti nocte recepisset se pro Trajano fuisse auditum; at pro nullo ulterius Pagano præces effunderet. Alii paulò aliter referunt. Ità feri potuisse per Dei omnipotentiam, nullus dubitat: sed utrum factè Theol. Billuart. Secunda Secundæ.

tum sit, veraque sit hæc Trajani liberatio, questio est.

Dico: Commentitia videtur Trajani Imperatoris ab Inferis liberatio precibus S. Gregorii. Natalis Alexander sculo 2. Diss. 1. hanc conclusionem potissimum probat ex eo, quod nulla detur exceptio a Legge generali de damnatione perpetua eorum, qui in infidelitate, aut impietate moriuntur. Verum hæc probatio nobis videtur infirma. Supposita enim veritate hujus historiæ, responderi potest cum S. Th. in suppl. q. 71. a. 5. ad 5. Trajanum non fuisse finalitèr & absolutè damnatum, sed punitum dumtaxat in Inferno secundum præsentia demerita; finalem autem & absolutam sententiam fuisse suspensam secundum superiores causas, quibus prævidebatur ad vitam revocandus: sicut necessario debet dici de omnibus illis, qui miraculosè fuerunt a mortuis suscitati, quorum plures constat Idololatrias & damnatos fuisse. Exempla vide apud Bellarm. l. 2. de Purg. c. 8. Hac itaque omissa probatione.

Probat. 1. Veritas hujus Historiæ repugnat doctrinæ S. Gregorii; is enim libr. 34. Moral. c. 16. docet, non magis licitum esse orare pro infidelibus & impiis defunctis, quam pro Diabolo: ergo non oravit pro Trajano, vel sibi contradixit. Unde ipse Joannes Diaconus fatetur, Romanam Ecclesiam propter hanc S. Gregorii doctrinam dubitare de præfatis miraculis, neque contineri in probatis ejus actis, quæ Rome asservantur. Huic D. Gregorii doctrinæ subscribunt passim Theologi, maximè S. Th. in suppl. q. 71. art. 5. ubi hanc ipsam Historiam refert, vocatque sententiam oppositam præsumptuosam, utpote *Sanctorum dictis contrariam & vanam, nulla auctoritate fulam & irrationabilem*. Requiere ejus rationes supra art. 6. conclus. 2.

Respondent communiter adversarii, hanc D. Gregorii doctrinam & communem esse veram secundum legem Dei ordinariam, non extraordinariam. Sed contra: quamvis ultrò fateamur, ut jam dixi, Deum secundum legem, seu poenitentiam extraordinariam posse non solum homines damnatos, sed etiam Diabolos omnes salvare, negamus tamen Justos viventes attendentes ad illam legem extraordinariam posse orare pro hominibus damnatis; quia ex ipso D. Gregorii loco citato eadem est causa, cur Justi viventes non possint orare pro impiis defunctis, quæ causa est, cur non possint orare pro Diabolo; nullus autem concedit, Justum viventem posse etiam attendendo ad legem extraordinariam orare pro salute Diaboli: & si id attentaret, statim damnatæ Origenistarum hæreses reus haberetur.

Neque dicas, D. Gregorium divino instinctu motum fuisse, ut oraret pro Trajano: non enim motus divino instinctu dici potest ad orandum, qui pro oratione legitur reprehensus, & Divina revelatione monitus ne deinceps pro Paganis & impiis oraret, ut fert ipse Joannes Diaconus, & putatius Damascenus, cui potissimum innituntur Defensores hujus Historiæ, de quo modò. Itèr refert putatius Petrus Diaconus ab Angelo dictum B. Gregorio, quod, quia præsumperat hoc petere, laboraret usque ad mortem perpetuo dolore stomachi, & pedum. Non oravit equidem, inquit Joannes Diaconus, sed flevit tantum. Verum & putatius Damasceno, & aliis, & sibi ipsi contradicit iste Auctor, si quidem sciebat S. Gregorium monitum fuisse, ut amplius non oraret pro Paganis: ergo prius oraverat. Itèr, quomodo dicit eum auditum fuisse pro Trajano, si nihil pro ipso postulaverat.

Confirmatur: Non est verisimile, S. Gregorium orasse pro sceleratissimo Principe Ethnicò, persecutore Christianorum crudelissimo, Sodomita, & nefario puerorum amor addictissimo, quem fuisse referunt Trajanum ipsi Auctores prophani; neque credibile, Deum post 500. ab ejus obitu & damnatione annos tam nefanda scelera condonasse absque Baptismo & poenitentia: si enim baptizatus fuisset, aut resuscitatus, poenitentiam egisset quomodo id latisset Romanos, & tacuissent Auctores coævii?

Probat. 2. Nullus Auctor Latinus, neque ipse venerabilis Beda, qui S. Gregorii fuit studiosissimus, hujus Historiæ tam singularis meminit antè Joannem Diaconum, qui 300. annis post obitum S. Gregorii scripsit, Et teneat se hanc Historiam non hausisse ex probatis S. Gregorii Actis, qui Romæ asservantur, sed ex quibusdam Ecclesiarum Anglicarum monumentis, eamque ab Ecclesiâ Romana non probari. Hæc autem sunt magna suppositionis indicia: ergo.

Probat. 3. Fundamenta, quibus innititur fides facti ideò insoliti, & contra leges ordinarias asserti, videntur non satis firma, nec sufficientia. Patebit ex solutionibus objectionum. Unde

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. auctoritatem Joannis Diaconi. R. Auctoritatem hanc in re inde elevari, quod iste Scriptor, ut dixi, eruat hanc historiam non ex aliquo Auctore fide digno, neque ex probatis Actis, sed ex obscuris nescio cuius Ecclesie Anglicane monumentis, fateaturque eam ab Ecclesia Romana non probari. Adde, quod in ea ipsa narratione sibi contradicat, dum dicit S. Gregorium orasse, & non orasse; ipsum ad orandum ex instinctu divino motum, & tamen reprehensum fuisse, quod oraverit. Unde merito dicimus, silentium veterum, improbatorem Ecclesie Romanae, & probationes nostras hujus Scriptoris auctoritati prevalere.

Obj. 2. & precipue auctoritatem S. Joannis Damasceni, qui in Oratione de fidelibus Defunctis asserit hanc Historiam; & quod eam esse veram Oriens totus, atque Occidens testatur. R. 1. hoc opus esse S. Joanni Damasceno suppositum, multa probant. 1. Quia hujus Orationis Auctor supponit proces & Missae Sacrificium pro damnatis posse offerri, hancque esse fidem Ecclesie Catholicae. Item asserit, Philosophos Ethnicos a Christo descendente ad Inferos fidei lumine fuisse illustratos, & ab Inferis solutos: quae duo sunt erronea, & a mente Patris Catholici prorsus aliena, maxime vero Damasceni, qui l. 2. de Fide c. 4. asserit, hominibus id esse mortem, quod fuit Anglis lapsus. 2. Item docet iste Auctor neminem, qui crederet in Christum peritum esse; quod est iterum erroneum. 3. Asserit, totum Orientem & Occidentem hanc Historiam testari; quod evidenter esse falsum, patet; siquidem Joannes Diaconus, qui scripsit 150. circiter annis postea (si verus esset Damascenus) aperte significat eam ab Ecclesia Romana probari, & ipsa, ut eam adstruat, cogatur confugere ad Britannos toto Orbe divisos, & eam ex obscuris quarundam Ecclesiarum Anglicanarum monumentis erueri. Verisimile est ergo, hujus Orationis Auctorem post Joannem Diaconum scripsisse, & ex eo hanc fabulam hausisse, quae, quia forte erat vulgata apud Graecos post dicitur Joannis tempora, scripsit Orientem & Occidentem illam testari. 4. Fabulas fabulis annectit, neque enim Trajanum modo, sed & quamdam Falconillam ab Inferis ereptam dicit: item & cranium siccam Sacerdotis Gentilis cuidam Macario dixisse: Quo tempore mortuorum causa preces offers, tum sane non nullius salutis sensu afficimur. Quae omnia tam falsa, quam apocrypha evincunt, hoc opus, non S. Damasceni sed alicujus recentioris Scriptoris factum esse. R. 2. Davto, hoc opus esse S. Damasceni, potest dici absque ejus injuria in hoc fuisse deceptum, ut patet ex probationibus nostris. Neque enim injuriosum est Sanctis Patribus, si dicantur in factis historicis errasse, cum constet aliquos in dogmate errasse.

Inst. Enochologium Graecorum cap. 9. hanc historiam ut veram admittit: ergo. R. Ex Pseudo-Damasceni oratione fibulam hanc in Enochologium irrepsisse. Adde Ecclesiam Graecam, ex quo in schisma prolapsa est, in errore majoris momenti incidisse.

Obj. 3. In Bibliotheca Vaticana asseratur scriptum, nomine Petri & Joannis, S. Gregorii Diaconorum, insignitum, in quo refertur, S. Gregorium orasse, ut quicumque in circuitu Ecclesie S. Andreae Apostoli in clivo Scauri sepulturam elegerit, modo fidem Christi teneret, ad aeternae vitae gaudia sublimaretur; Sancto vero Pontifici

apparuisse Angelum, qui ipsi renuiverit orationem illius fuisse exauditam, sed ipsum ab infirmitate corporis, quam patiebatur, nunquam in hoc saeculo liberatum iri, quia illud postulare praesumpserat a Deo, & pro Trajano orare: ergo. R. Hoc iterum opus esse apocryphum, & novi alicujus impostoris factum, prob. 1. Quia S. Gregorium Divinum nominat, quod nomen apud Scriptores Sacros hujus & priorum saeculorum nunquam Sanctis tributum reperitur. 2. Cardinales Episcopis anteponebat, quod illius aevi disciplinae repugnat. 3. Attingit S. Gregorium orationem, vel impiam, vel ineptam, si dum oraret, ut sepulti in ambitu Ecclesiae salventur, si fidem teneant, intelligat de fide informi: Ineptam, si intelligat de fide charitate formata: qui enim moritur cum fide charitate formata, ubicumque sepeliatur, salutem consequetur. 4. Insultum est, S. Gregorium tantas gratias obtinuisse per orationem, pro qua fuit reprehensus & punitus. 5. Si hoc opus esset Petri Diaconi, & asservatum in Bibliotheca Vaticana, non dixisset Joannes Diaconus, hanc historiam non extare in Ecclesia Romana, sed apud Anglos.

Obj. 4. S. Th. In suppl. q. 71. a. 5. ad 5. refert hanc historiam ut veram: ergo. R. D. Ant. Refert ut veram, hoc est, supponit veram, C. Asserit veram, N. Non ergo S. Doctor positive asserit, animam Trajani ab inferis fuisse solutam precibus S. Gregorii, sed, supposita veritate hujus historiae, quam propter auctoritatem putavit Damasceni rejicere noluit, nec ipsi librorum defectu expendere licuit, respondet, quae probabilis responderi possunt: hancque responsionem eo veriore esse patet; quod S. Doctor in 1. Distinct. 43. q. 2. a. 2. ad 5. eandem historiam referens aperte declarat se de ea dubitare: Dicendum, inquit, quid hanc est de Trajano, qui FORTE post 300. annos suavitatus est, & de aliis, qui post unum diem suscitati sunt. Non solet autem S. Doctor facta historica ducere, neque id sibi proponit in Summa, aut aliis operibus, sed duntaxat res Theologicas Scholastica methodo tractare. Unde responsiones, quas facit ad argumenta factis historicis mixta, sunt ut plurimum hypotheticae, non absolutae.

Obj. 5. Haec Trajani liberatio revoluta fuit S. Brigittae l. 4. Revelat. c. 13. & S. Meclildi l. 5. c. 6. ergo. R. 1. N. Ant. in revelatione S. Brigittae legitur tantum, animam Trajani evectam esse ad altiorem gradum, quod ad solam poenae mitigationem aliquam referunt Auctores Catholici. In revelatione autem S. Meclildi legitur, Deum nolle, ut sciant homines, quid de anima Trajani statuerit. Ex quo R. 2. Haec revelationes esse sibi contrarias, adeoque in hoc negotio parvipendendas, nam Deum revelasse animam Trajani evectam esse ad altiorem gradum, & se nolle, quod sciant homines, quid statuerit de anima Trajani, inter se pugnant. R. 3. Revelationes privatas, & ab Ecclesia non probatas, infirmas auctoritatis esse apud Theologos, maxime si inter se pugnent.

Si tandem opponas graves Auctores, qui hujus historiae veritatem defendant, S. Antonin. Vincentium Bellov. Herson. Tostar. Ciaconium, Navarum, Lannsa, &c. Oppono vicissim alios non minus graves Auctores, qui illos impugnant, Baronium ad ann. Christi 604. Bellarm. l. 2. de Purgat. c. 8. Melchiorum Cano l. 11. de loc. Theol. Dogm. Soto in 4. dist. 45. q. 2. Possesivum in Apparatu Sacro, verbo Joannes Damascenus. Coelestem lib. 9. Hist. Rom. Sylvium in a. 5. q. 74. Suppl. Nicolai ibid. Natalem Alex. sac. 2. Dist. & alios, qui illam impugnant. Oppono insuper probationes conclusionis.

DISSERTATIO III.

DE ACTIBUS EXTERIORIBUS RELIGIONIS,

SCILICET,

DE ADORATIONE, SACRIFICIO, OBLATIONE, PRIMITIIS ET DECIMIS.

Div. Thom. QQ. 84. 85. 86. 87.

ARTICULUS I.

De Adoratione.

Nota 1. Nomen Adorationis derivari, vel ab Ador, quod est species frumenti, in Sacrificiis adhiberi so-

liti; vel a praepositione ad & verbo Oro, quia oratio ut plurimum, vel comitatur, vel praecedit, aut sequitur adorationem. Secundum vero vocis significationem, Adoratio est honos exhibitus alteri propter superioritatem ejus excellentiam, in protestationem nostrae erga eum submissionis. Unde minus late patet, quam honor, honoratur quippe aequalis; at non nisi superior adoratur. Et quia est triplex excellentia, (Q. 84. a. 1. ad 1.) una divina, altera creata naturalis, ut hominibus bonitas, scientia, &c. altera creata supernaturalis, ut in Angelis, & Beatis sanctitas, &c. Hinc distinguitur triplex adoratio. Prima, quae est excellentiae divinae, dicitur Latria. Secunda, quae est excellentiae creatae supernaturalis, dicitur Dulia. Tertia, quae est excellentiae creatae naturalis, dicitur Cultus civilis.

Sed, (Ib.) cum haec distinctio in triplicem excellentiam sit analoga, sola enim excellentia divina est proprie per se excellentia, aliae autem sunt excellentiae a divina participatae; Hinc etiam sola adoratio divinae excellentiae, seu Latriae est simpliciter, & proprie adoratio; aliae vero, nempe Dulia, Hyperdulia, & Cultus civilis, improprie dicuntur adorationes. Et in hoc lato sensu dicuntur quandoque homines, vel Angeli adorari in Scriptura. Sic Gen. 18. & 23. legitur, quod Abraham adoraverit Angelos, & filios Hebr. 3. Reg. 1. quod Nathan adoraverit David Regem. Summus hic igitur adorationem pro Cultu Latriae, quae soli Deo competit. Unde

Dico 1. (Ib. & o.) Adoratio est honos Deo exhibitus propter ejus summam, & omnibus superioriorem excellentiam: unde patet, quod sit actus Religionis.

Dico 2. (Art. 2. o.) Adoratio secundum se non importat actum corporalem. Angeli enim sola mente adorant: prout tamen convenit nobis, qui ex duplici natura sumus compositi, intellectuali scilicet, & corporali, duplex est adoratio, una spiritalis, quae consistit in interiori mentis devotione, quae summam Dei excellentiam veneratur, eique se subijcit; altera corporalis, quae consistit in exteriori corporis humilitatione protestativa talis excellentiae, & nostrae ad eam submissionis, v. g. genuflexione, prostratione, capitis incurvatione, &c. Sed quia hi exteriores actus, & similes (excepto Sacrificio; & iis, quae ad ipsum pertinent, ut sunt Tempia, Altaria, &c.) exhiberi etiam possunt creaturis, quae tamen proprie non adorantur; ideo ut censentur adorationes proprie dicuntur pendebat ab interiori adoratione, seu ab intentione exhibentibus. Quando igitur tales actus exhibentur Deo propter supremam ejus excellentiam, dicuntur Adoratio, seu Latria. Si exhibentur amicis Dei propter participatam ejus excellentiam, dicuntur Dulia, vel Hyperdulia. Si hominibus propter humanam excellentiam dicuntur Cultus Civilis.

Igitur (Ibid. & ad 1. & 2.) primo principaliter adoratio est in interiori reverentia Dei. Secundario in actibus, seu signis exterioribus, quae habent triplicem relationem ad interiorem adorationem. 1. Tamquam ad finem, ut scilicet per haec signa exteriora excitetur nobis affectus ad subijciendum se Deo; connaturalis est enim nobis, ut per sensibilia ad intelligibilia procedamus. 2. Ut ad causam efficientem, in quantum ex spiritali adoratione procedit adoratio exterior; & ideo diximus ex ea pendere, ut actus exteriores sint proprie, vel improprie adorationes. Et hinc 3. ut signum ad signatum, quia per exteriorem adorationem significamus, & protestamur nostram de divina excellentia aestimationem, & submissionis nostrae affectionem.

Dico 3. (Art. 3. o.) Quantum ad interiorem adorationem nullus requiritur determinatus locus. Quia mens apprehendit Deum, quasi non comprehensum aliquo loco, ut patet exemplo Christi, qui non solum in Templo, sed & in montibus legitur orasse. Quantum autem ad exteriorem adorationem (Ib.) requiritur determinatus locus, non secundum necessitatem, sed secundum quandam decentiam, (Ib. ad 2.) Et hoc propter triplicem rationem. 1. Propter Loci consecrationem, ex qua specialem devotionem concipiunt Orationes, ut magis audiantur. 2. Propter sacra Mystera, & alia sanctitatis signa, quae ibi continentur. 3. Propter concursum multorum adorantium, ex quo incitatur ad ferventius orandum: & oratio fit magis exaudibilis secundum illud Matth. 18. Ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum ego in medio eorum.

In veteri Lege nebat adoratio ad Occidentem, ad excludendum Idololatram: (1. 2. q. 102. art. 4. ad 5.) Nam omnes Gentiles ad reverentiam dolis adorabant ad Orientem. Evacuata autem veteri Lege per novam, & cessante apud Christianos periculo Idololatriae, adoramus secundum quandam decentiam versus Orientem, maxime in publicis Orationibus, & Sacrificiis Missae, propter quod sic anti-Theol. Billuart. Secunda Secundae.

quibus disponebantur Tempia, & hinc etiam in quantum situs loci permittit, disponuntur, ut ostium pateat ad Occidentem, & adoratio fiat verso vultu ad Orientem; cuius antiquissimi Ritus meminerunt Origenes hom. 5. in Num. Tertullianus in Apolog. c. 16. & alii. Illius rationes congruentes sunt (Hic a. 3. ad 3.) 1. Propter Divinae Majestatis indicium, quod nobis manifestatur in motu Coeli, qui est ab Oriente. 2. Propter Paradisum in Oriente constitutum, Genes. 2. quasi quaeramus ad Paradisum, patriam nostram redire. 3. Propter Christum, quia Sol Justitiae, Lux Mundi, & Oriens vocatur in Scripturis, & qui ascendit super Caelum Coeli ad Orientem, & ab Oriente expectatur venturus, Matth. 24.

Petes: Quandoquidem licitum sit exhibere creaturis signa, seu actus exteriores, qui dicuntur improprie adoratio, ut dictum est. 1. Quare Mardocheus ea denegavit Aman? 2. Quare Angelus Apoc. ultimo recusavit ea acceptare a Joanne Evangelista? 3. Quare proscribitur cultus, qui apud Chineses defertur Confucio, eximio inter illos Philosopho, & Manibus parentum defunctorum? R. ad 1. (Art. 1. ad 1.) quod Mardocheus noluit adorare Aman secundum reverentiam, quae debetur Deo, timens, ne honorem Dei transferret ad hominem; tanta enim erat superbia Aman, ut sibi oblatum reciperet tamquam Divinum, quasi ipse esset aliquid super homines. Ad 2. (In hac p. q. 103. a. 2. ad 1.) R. Angelum hanc adorationem a Joanne recusasse, ut ostenderet ipsius Joannis dignitatem; & quia ratione Apostolici, & Prophetici muneris, singularisque sanctitatis erat per Christum Angelis adaequatus, secundum spem gloriae filiorum Dei. Ad 3. R. hinc cultum apud Chineses non esse merè civilem, sed Religiosum; in eo enim sita est eorum Religio, ut probant late Auctores, qui hanc materiam tractant.

ARTICULUS II.

De Sacrificio.

Nota: (Q. 85. a. 3. ad 3.) Sacrificium, secundum nominis etymologiam, est quasi Sacrum factum, seu facere aliquid Sacrum, secundum nominis significationem, si generaliter sumatur, est omne opus bonum propter reverentiam Divinam factum. Si autem strictè, & proprie sumatur, Dico 1. Sacrificium est: Oblatio rei sensibilis, a legitimo Ministro facta Deo, per realem immutationem, ad testandum supremum ejus Dominium, nostramque subjectionem. Ita communiter.

Explicantur singulae partes. Dicitur Oblatio; quia oblatio est genus ad Sacrificium, & alios actus, quibus offeruntur Deo res exteriores, ut Decimae, Primitiae, &c. (Ibid.) Unde omne Sacrificium est oblatio, sed non convertuntur: accipitur tamen oblatio strictius pro specie condistincta a Sacrificio, ut dicemus. Dicitur Rei sensibilis: (Art. 1. o. & ad 3.) quia Sacrificium est in genere signi; fit enim ad significandam internam oblationem, qua homo mentem Deo ut supremo Domino offert, ac subijcit. Dicitur a legitimo Ministro; non enim cujuslibet est offerre Sacrificium; sed hominis publici, & ad id deputati, qui dicitur Sacerdos. In lege naturae ad id deputabantur, vel instinctu Divino, ut Abel, Abraham, Moyses; vel ab hominibus, ut erant Patresfamilias, & Primogeniti. In Lege scripta soli filii Aaron. Unde Ozias Rex, cum non esset Sacerdos, & Sacrificium offerre vellet, reprehensus fuit a Sacerdotibus, & Deo vindice lepra infectus. 2. Paralip. c. 26. v. 18. Attamen quoad Sacrificium Agni Paschalis, verisimile est, perseverasse morem, ut immolaretur per Patresfamilias, & Primogenitos; ita censent Lyranus, Baronius post Philonem apud Sylvium hic. In nova autem Lege soli Episcopi, & Presbyteri ad id consecrati.

Ratio est; quia Sacrificium offertur non pro solo offerente, sed pro toto populo: ergo debet offerri per publicum, & deputatum Ministrum, qui nomine omnium, & pro omnibus agat. Nemo enim potest propria auctoritate assumere personam populi, vel officium peragendi pro illo publica ministeria. Hinc Apost. ad Hebr. 5. Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in vita, quae sunt ad Deum, ut offerat Dona, & Sacrificia pro peccatis. Et infra: Nec quisquam sibi sumit honorem (Sacerdotii) sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron.

Dicitur, facta soli Deo: (Art. 2. o.) quia Sacrificium est actus Latriae, soli Deo exhibendus. Fit enim ad testandum supremum Dominium in omnes res creatas; si ve offertur ut principio creationis, & fini beatificationis, quod utrumque soli Deo competit: non sic oblationes sim-